



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Petrus Episc. 3. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

3. Aug. VITÆ SANCTORVM.

379

ejus filiis geminis intentat. Sed illa Spartanâ voce  
hoc unicum votum suum esse dicebat, bis antè,  
quàm semel mori, & filiorum priùs oculos, quàm  
suos claudere; scire se ad hoc filios genuisse, ut es-  
sent qui pro patriâ, Cælo, occumberent. Ergo in  
flammandem fornacem unà omnes injiciuntur. Et  
ecce continuò Superi probarunt & ad se rapue-  
runt aurum. Ex actis S. Anastasia.

Cùm sis adolescens, silentium & diligentiam cole:  
diligentia enim te gratum conservat; silentium autem  
anima lucem tuetur, nec splendorem ejus tenebris obrui-  
sinit; semper denique & in omni actione comes tua sit  
humilitas. S. Ephrem de vita spirit.

S. PETRUS EPISC. 3. Augusti.

EX principum Salernitanorū stirpe ajunt oriun-  
dum PETRVM. Sed ut in nobiliorem etiam fa-  
miliam transiret D. Benedicti, non dubitavit pur-  
puram cum cucullo mutare. Attulit tamen hic al-  
teram illi purpuram, cùm Pont. Anagniæ ab Alex.  
Pont. Max. datus est. Sed nos illud multò pluris  
facimus, Cælitibus tam familiarē PETRVM fuisse.  
Etenim cùm dubitatio suborta esset Agnaniensi-  
bus, num D. Magni ossa penes se haberent, eam ex  
omnium animo delevit ipse Magnus, & testis suus  
ipse verissimus feminæ à paralyssi afflictae (excuba-  
re eam PETRVS ad tumbam Divi jussérat) sub no-  
ctem conspicuus suam præsentiam Episcopo, si-  
mul sanitatem ægræ nuntiavit. Idem D. Magnus  
PETRO oranti visus iter illi Constantinopolim  
indixit & simul itineris rationem edixit, ut quòd  
valetudinem Imperatori allaturus, & invicem,  
quidquid postulasset, esset ablaturus. Itur ergo  
Constantinopolim ad Michaëlem. Sed negat hic  
se

se vel Anagniam vel Medicum D. Magnum nosse.  
Ut igitur nosceret, nocte in sequenti cum morte  
luctanti Imp. spectandum se obtulit ipse Magnus  
& cum Magno VIRGO Maxima, monuitque PE-  
TRO crederet, medicinam morbo facturo. Accer-  
situr igitur hic, & valetudini restituitur Michaël.  
Rogas, quâ medicinâ? Saluberrimo MARIAE &  
Magni nomine. Pretium operæ porrò PETRVS suæ  
Anagniam hoc retulit, ut sumptus Imp. Michaël  
faceret in ædem maximam ædificandam suffectu-  
ros. Sed neque hæc licet magnifica explere ocu-  
los potuit PETRI. Ad cæli igitur templa abiit. Eo-  
dem tendis? per nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

*Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patien-  
tiâ, diffundentes odorem illius circumquaque, aduersa  
tolerando: sicut enim aromata odorem suum, cum in-  
cenduntur, expandunt, sic in nobis quod virtutibus re-  
dolet, per patientiam innotescit. S. Laur. Just. lign. vite.*

### S. DOMINICUS CONF. 4. Augusti.

**A**lterum ecce orbis labantis columen DOMI-  
NICVM. Certè Innoc. Pont. Max. subjicere hu-  
meros ruinam meditanti Lateranensi ædi vidit.  
Certè flagrantem à tergemino vito orbem toti-  
dem telis castigaturo FILIO MATER clypeum cum  
FRANCISCO DOMINICVM objecit; ut jam minus  
mirer necdum natum sive ore facem, sive fronte  
stellam prætulisse. Et verò etiam hodie lucet in  
Filiis, qui dum sanctioribus rosis lilyum (VIRG-  
NEM) colunt, dignos se probant, quos ( quemad-  
modum ipse DOMINICVS habuit videre ) velut  
pullos suos nunc pallii sui alis foveat MAGNA  
MATER, nunc dormientes invisat benè precabun-  
da. Illud omnium bono ex Virgine Divus intel-  
lexit,